

**Johannis Jacobi Rau Oratio inauguralis de methodo anatomen docendi et
descendi : habita in auditorio majori, cum ordinarium, anatomiae, &
chirurgiae professionem in almâ Academiâ Lugduno-Batava ex illustriss.
curatorum & consulum decreto auspicaretur. : a. d. XXVI. Septembris.
Anno MDCCXIII.**

Contributors

Rau, Johannes Jacobus, 1668-1719.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Samuelem Luchtmans, 1713.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mayutdc4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JOHANNIS JACOBI RAU
O R A T I O
INAUGURALIS
DE
METHODO ANATOMEN
DOCENDI ET DISCENDI.

HABITA
IN AUDITORIO MAJORI,

Cum ordinariam , Anatomiæ , & Chirurgiæ Professionem
in almâ Academiâ Lugduno-Batava ex Illustriss. Cu-
ratorum & Consulum Decreto auspicaretur.

a. d. XXVI. Septembris. Anno MDCCXIII.



LUGDUNI BATAVORVM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1713.

JOHANNIS JACOBII RAU

ОЛТАЯ С

ИНАГУРАЦИ

ЗА

ПЕНОДО АНТОНИ

ДОСЕНДИТИ DISCENDI

АТЛАС

И АКТОВЫЙ МАЮР

СОЛДАТСКАЯ ОБЩЕСТВЕННАЯ ОРГАНІЗАЦІЯ

СОЛДАТСКАЯ ОБЩЕСТВЕННАЯ ОРГАНІЗАЦІЯ

СОЛДАТСКАЯ ОБЩЕСТВЕННАЯ ОРГАНІЗАЦІЯ



ХУДОЖНИКА ПАВЛА

ДІМІТРИЯ ЛУЧМАНСА 1713.

Nobilissimis & Splendidissimis Viris

ACADEMIÆ LUGDUNO-
BATAVÆ

CURATORIBUS,

D. JACOBO, BARONI WASSENARIÆ,
S. R. J. Comiti , Dynastæ in Waffenaer , Ob-
dam, Hensbroek, Wochmeer, Spierdijk , Zuyd-
wijk, Kernchem , Twickelo, Lage , &c. Ordin-
nis Equestris Nobilium Hollandiæ Assessori Pri-
mo, Illustris Ordinis Equestris Danici , cuius
insigne Elephas , Membro , Supremo Equitum
Fœd. Belgicæ Magistro, munitissimæ Urbis Syl-
væ Ducis Gubernatori , ad Potentissimos Polo-
niæ & Borussiæ Reges , ac Serenissimum Elec-
torem Hanoveriensem , & ad plures Germaniæ
Principes , Legato Extraordinario , &c. &c.

D. HUBERTO ROSENBOOM , JCto ,
Toparchæ in 'sGrevelsrecht , Supremæ Batavo-
rum Curiæ Præsidi , &c. &c.

D. HERMANNO VANDEN HONERT , JCto .
Primæ in Hollandia Dordrechianorum Urbis
Consuli, ejusque Voto in Delegatos Præpoten-
tium Ordinum Hollandiæ nuperrime adscripto ,
Comiti Aggerum Alblasserwaarde , &c. &c.

EORUMQUE COLLEGIS
Amplissimis Gravissimisque Viris
CIVITATIS LUGDUNENSIS
C O N S U L I B U S,

D. JUSTO VAN HEEMSKERK, JCto.
D. CAROLO CRUCIO, JCto.
D. JOANNI DE BIE, JCto.
D. JOANNI VAN ASSENDELFT, JCto.

NEC NON

Consultissimo Viro

D. PETRO GHIJ S, JCto. Curat.
& Coss. à Secretis, & Reip. Lugdunensis Se-
natori.

D. HERMANNO VAN DEN HONERT, JCto.
Hanc Orationem
D. D. C.
JOANNES JACOBUS RAU.

JOAN-

JOHANNIS JACOBI RAU
O R A T I O
I N A U G U R A L I S
D E M E T H O D O A N A T O M E N
D O C E N D I E T D I S C E N D I .

MAGNIFICE RECTOR. ILLISTRIS ACADEMIAE CURATOR. AMPLISSIMI HUJUS URBIS, PRÆTOR, CONSULES, SCABINI, SENATORES, QUIQUE URBI ET ACADEMIÆ ESTIS A CONSIGLIIS, ET SECRETIS. CELEBERRIMI OMNIUM FACULTATUM PROFESSORES, COLLEGÆ HONORATISSIMI. REVERENDI VERBI DIVINI PRÆCONES FACUNDISSIMI. DOCTORES OMNIUM ARTIUM ET DISCIPLINARUM ERUDITISSIMI. OMNIS ORDINIS ET LOCI, CIVES, HOSPITES SPECTATISSIMI. TU DENIQUE ORNATISSIMA STUDIOSORUM CORONA.

Dum verba facere aggredior, ex hoc sancto, & venerando loco, quem tot Clari, & omnigena scientia Viri, ex variis mundi plagis acciti, summa cum laude & gloria, ante me conscen-

A

de-

O R A T I O

derunt, temerarius jure videar, qui nullis vel ingenii, vel eloquentiae dotibus instructus, sustineam orationem habere ad tam illustrem, Præstantium & Eruditorum Virorum, coronam, nisi Consuetudo, & Lex Academica, pro me starent, quæ non sinunt, ut aliquis ad publicum munus in hâc Academiâ, obeundum, vocatus, sine ullo alloquio, res suas agere incipiat. Quæ certe lex, mihi, qui ultrò fateor, me nunquam, vel politionibus litteris, operam dedit, vel in eloquentiae studio esse versatum, terrorem haud parvum injicit, revocante me penè & retrahente ab incepto cursu conspectu horum Virorum longè amplissimo, & exspectatione, quam apud vos, Patres Conscripti, haud mediocrem sustineo, & cuius implendæ studium me non leviter angit. Quamvis movear etiam non solum gloria muneris, bene & pro virili administrandi, sed & necessitate officioque id præstandi, quod jure merito a me postulare potestis.

Sed hinc facile percipio, famam & nominis mei decus, si forte quod in his oris gesserim, in discrimen adduci, si decidens à meæ existimationis, officiique rationibus, pariter à Vestrâ exspectatione & judicio decidero.

Neque minus commoveor præsentia tot Clas-

A
rissi-

rissimorum Virorum , quos partim doctrina , partim excellentia Dignitatum , quibus funguntur , per omnem hanc regionem , & ultra eam , Celebres reddiderunt ; neque inde confirmor , quod magnam ætatis meæ partem , operatus studiis Anatomicis , ac Chirurgicis , non prorsus rem infeliciter gesserim in Celeberrima Bataviæ Urbe , (quæ , ut olim Athenæ , Helladis Hellas , non minori jure Belgii Belgium nominari potest) approbante & favente Amplissimo Magistratu , qui amplam satis occasionem mihi præbuit , ferendi has partes , & laborantibus suceurrenti , cum facultatem mihi fecit in publico Theatro prælectiones habendi , & ea docendi & demonstrandi , unde fructus capere possent & Medici & Chirurgi . Cum Xenodochia sua mihi aperuit , & mea opera in pauperibus , quos cruciatus calculorum & alia mala infestarent , sublevandis , usus est ; quin & cadavera nanciscendi copiam fecit , ut in demortuorum partibus , & visceribus me præeunte disserent viventes ; quod vicissim postea docerent alios , & sic patriæ suæ (quod bonorum est Civium) prodeßent .

Non erigunt , inquam , hæc omnia mentem meam , quam sentio trahi nunc huc , nunc illuc , à rerum mearum mutata facie & vicissitudine , neu-

tiquam prævisa, quanquam ignotum mihi non erat, nihil hic esse, quod ei non esset subiectum, neque liberam esse ab eâ ullam ætatem, ullum sexum, ullum ordinem, & conditionem; denique omnia perpetua quadam inconstantia moveri.

Etsi enim mihi conscius sim, non defuisse in hac arte, quam profiteor, suos successus, quod non diffitebuntur etiam illi, qui non satis æquis oculis, hosce progressus sunt intuiti, tamen ineptus sim, & prorsus rerum imperitus, si non percipiam, haud perinde hoc tempore mecum agi, meque arenæ longè diversæ committi. Longè enim aliud est, suo more vivere & privatas domus miserorum curandorum causa frequentare, quam in publica luce positum, judicia hominum experiri, quo necesse est, famam omnem, hominis, etiam ejus, qui maximè commissæ sibi operæ incumbit, vel stare, vel cadere. Una tamen spes me sustentat, qui probè scio, nec dubito, quin vos sciatis Auditores, me nullis clandestinis artibus, aut in honesto ambitu hoc munus petiisse, sed id ultra mihi esse demandatum ab Illusterrimis hujus Academiæ Curatoribus, & Amplissimis Urbis Consulibus.

Quid enim me moveret, ad spartam hanc, quamvis honorificam, tamen & laboriosam, quærendam?

dam? Qui sat occupatus laboribus, qui talia meditantem circumstant, nihil haberem, quod requirerem, contentus modica fortuna & applausu Virorum laudatissimorum, quibus hæc sacra non sunt incognita: accedebat Ampliss. Amstelodamensium Consulum favor, qui ne nunc mihi quidem iniqui, ut patet ex commodis, quæ à me, licet Amstelodamo egresso, voluerunt intacta retineri; qui me illic contra protertos invidorum insultus protegebant, meque sinebant agere, quod credebant utile civibus suis, & hoc non æqua mente solum ferebant, sed suffragiis suis approbabant, collegia a me institui, in quibus juventus Anatomicas & Chirurgicas artes à me doceretur, & Exteri quoque ad celeberrimum hoc Emporium venirent, ut ex ore & manibus meis perciperent, quod facere posset ad rem Anatomicam & Chirurgicam, ad quam animum appulissent, illustrandam & confirmandam. Qua ratione talibus profuerim, malo ab ipsis dici, quam à me hic prædicari, ne vanitatis aliquam notam incurram.

Quid, inquam, me solum nullis uxoriis molestiis implicatum impelleret, ad sedem mutandam, & res meas alio transferendas? A quo consilio penitus abhorrebat animus, ut si Viri graves, & cordati, quos in consilium (res enim magna est) ad-

hibui, in alia omnia ivissent, & hanc migrationem dissuasissent, pedem non fuisse moturus ex habitationis loco, quem semel elegeram; sed tergiversantem (liberè loquor) propulerunt amici, contendentes, fas non esse, ut me substraherem ab hoc onere, nec datas esse à Deo mihi meas dotes, ut absconderem, sed per eas in majori luce positas, majori hominum numero utilis essem, & celeberrimam Belgii Academiam (cui recens vulnus ex morte Clarissimi Bidloi erat inflictum) pro virilibus juvarem, quando res medica his subsidiis carere non posset.

Rectè illi quidem, & amicè, si modo non plus tribuerint mutuæ amicitiae, quam veritati, extollentes in majus vires meas, quas satis scio per exiguae, licet voluntas nunquam sit defutura inserviendi utilitati publicæ.

Non equidem diffiteor, me ex judicio illustrium Procerum, amplissimum & prorsus inexspectatum fructum ferre tot laborum meorum, quos jam ab ineunte adolescentia impendi, quo severa lege proficerem in exercitationibus earum artium, quæ postea mihi permagno usui fuere; atque adeo dulcem experior recordationem cursuum, & recursuum per tot maria, & commorationis in exteris regionibus, ubi publica Xeno-

nodochia magno mihi emolumento fuerunt in omnis generis curationibus , & operationibus ritè instituendis ; ne jam dicam de consuetudine celeberrimorum & exercitatissimorum Medicorum & Chirurgorum , quibus ibi usus sum familiarissime cum ingenti fructu studiorum meorum .

Hæc cum ita fint , Auditores omnium ordinum benevoli , meque jam in hoc illustre theatrum , volente sic summo rerum humanarum Arbitro , qui res nostras pro sapientissimo suo consilio moderatur & dirigit , productum videam , certum est , me accommodare moribus Academiæ , quæ me jam abhinc viginti annis Medicorum numero inferuit , & ex altiore jam sede orationem ad vos habere ; proposita mihi dicendi materia , quæ conveniat cum instituto vitæ , & docendi publicè ratione , quam aggredi propediem bonis avibus decrevi .

Quare maximè opus est , ut hac hora , qua ad me audiendum , majore etiam , quam exspectaveram , numero , confluxistis , ad humanitatem vestram confugiam , vosque obtester & obsecrem , ut mihi , qui non mea voluntate , sed more majorum , hunc locum consendi , veniam detis , si non eloquentiæ , sed diversis ab eâ studiis , innutritus , non implevero omnes judicii vestri numeros , cum non ad ostentandam aliquam facundiam ,

sed ad initium muneri publico faciendum, omnis mea dirigenda sit oratio.

Ergo apud animum meum sedulo reputans, ac diligenter recensens, quæ mihi hodie publica auctoritate persona sit imposta, existimavi, me rem nec absurdam, nec vobis ingratam, facturum, si aliquid in medium proferrem, quod scopum meum illustraret, vobisque significaret, quo pacto animum induxerim, hæc sacra tractare, ut sic potissimum vobis pateat methodus, qua velim Anatomen & Chirurgiam, ab adolescentia justo ordine addisci. Quod dum ago, peto a vobis, quæfoque, ut eadem humanitate, eademque, qua tot alios ex Cathedrâ audivistis, attentione, me prosequi dicentem velit.

Hoc priusquam expedire incipio, nihil dicam de Anatomes necessitate, & ejus cum Medicina cognitione, cum id omnibus & singulis, qui se ad ejus sacra penetranda addixerunt, satis persuasum esse conjiciam; totum enim Medicinæ negotium Anatomia tanquam firmæ basi incumbere, ex sequentibus non difficulter vobis patebit.

Hinc ratio sana me jubet methodum delineare, qua hæc futuro Medico & Chirурgo tam utilis, tam necessaria scientia feliciter capi, & in ea addiscenda, multi labyrinthi, plurimi angiportus & innu-

meri

meri scopuli evitari possint: nam habent singulae artes certam methodum, qua eas assequamur, quam nisi adhibeamus, nihil recte, nihil ordine percipimus.

Igitur ad hanc perveniendam, tres requiruntur potissimum partes.

1. *Scriptorum veterum Anatomicorum, & Recenti-
orum frequens lectio, & lectorum cognitio.*

2. *Viva docentium vox & informatio.*

3. *In dissectione corporum humanorum & bru-
torum manuductio, & frequens exercitatio.*

Lectione Auctorum accipimus quid sciverint Veteres, quid præstiterint Recentiores, ne quid illis notum, nos novum putemus. Informatione & manuductione memoriam refricamus, & ad modum sectionis adsuescimus, exercitio rursus lectorum memoriam firmamus, fabricationem veram partium rimamur, veram illarum actionem, & genuinum usum addiscimus; hac viâ Veterum dogmata cum Recentiorum doctrina conferimus, an hi, an illi, inculpatè scripserint, judicamus; & tandem saepius secando vel novi aliquid detegimus, vel saltem fabricando fabri sumus.

Jam distingo, facilioris intelligentiæ gratiâ, scriptores Anatomicos in Veteres, & Recentiores; nominabo omnes Veteres, qui ante magnum Har-

veum Anglum scripserunt: His illos jungam, qui Harveo coetanei fuerunt, sive Harvei circulationem admiserint, nec ne. Hoc servato ordine Recentiorum primus erit *Harveus*, denique illi, qui vel generalem omnium partium anatomen, vel separatam alicujus partis evulgarunt.

Veterum primus erit *Democritus Abderita*, qui quanto amore in studium anatomicum flagrarit, testatur de ipso *Hippocrates*, ideo eum sapientem declarans, quod dissectionibus brutorum sedulo incumberet tempore, quo populus Abderitanus eum insanire putabat, quum solitarius indesinenter brutalis dissecaret, ad causam animorum pathematum detegendam. Exstat ejus epistola in operibus *Hippocratis*, lectu dignissima, vetustissimum, quod de re anatomica habemus, fragmentum: in hac epistola fere totam corporis fabricationem tam ordinatè comprehendit, ut non dubitandum sit, eum majora excoluisse specimina anatomica.

Hippocrates *Cois* fabricationem corporis humani, illius actiones & usus, in variis libris, variis nominibus dotatis, exhibuit, præter illa, quæ in morborum explicatione passim sparsa narrat, librum composuit de articulis, alium de fracturis, de principiis, de carnis, de vectiatio, de natura partium, de auditu, de olfactu, de visione,

de

INAUGURALIS.

11

de sermonis facultate; in libro, qui de genitura nomen habet, de semine virili & fœmineo accurate tractat; quem edidit librum de natura pueri, de septimestri & octimestri partu, de natura hominis, præter ea, quæ de venis indicant, potius partium usum, quam resolutionem, continent; ejus indolis est epistola, quam ad Regem Perdiccam scripsit. Quos quatuor vero alios confecit libros, de resectione, de corde, de natura ossium, de glandulis, & venis, testabuntur, *Hippocratem* non solum exercitavisse Anatomen propriis manibus, sed plura eum ab Antecessoribus suis mutuatum fuisse, quæ evincunt, *Hippocrati* antiquorem esse Anatomen.

Devolvor ad *Aristotelem* Stagiritam, *Platonis* discipulum. Hic rerum naturalium Historiam, quæ vel ad hominem, vel animalia spectant, Philosophis necessariam judicans, eam ex Medicorum libris suo tempore videtur excerptisse, suisque tractatibus sub vario librorum ordine inseruisse, scripsit de animalium historia plurimos libros, in quibus narrat partium tam internarum, quam externarum, differentiam & positionem, in quibus animalia inter se, vel cum homine, conveniant, de illorum congressu, generatione, partu, menstruis, de lacte, de victu illorum, de actionibus,

C 2

de

de motu & incessu, & alia multa, quæ ad contemplationem potius, quam ad anatomen pertinent.

Huic gravissimus ille scriptor Romanus, *Cornelius Celsus*, succedit, præter ea, quæ in principio libri quarti de interioribus sedibus partium corporis humani, & in libro octavo de positu & figura ossium totius corporis habet, merè ex *Hippocrate* transcripta sunt.

Hunc sequitur, naturæ illud miraculum, *Clavius Galenus Pergamenus*, qui sub Trajano emicuit & sub *Marco Antonio* floruit; hic tanto desiderio Anatomes studiosus fuit, ut in Græciam & alias longè dissitas regiones migraret, eam ab aliis discendi causâ, ubi is mos vigebat, ut pueri, qui ad Medicinæ studium destinati erant, illam memoriæ, quasi prima artis elementa, mandarent. Hic præceptores habuit, Satyrum, Pelopem, Morianum, Lycum, Numesianum, Helianum, Eudemum, Herophilum, & alios, quos plusquam viginti commemorat ipse, ex quorum voce & scriptis, principiis anatomicis imbutus, tantum brevi spatio temporis profectum fecit, ut illos non solum in arte superaverit, sed per xiv. ferè secula, post Christum natum, omnium Anatomicorum princeps habitus fuerit. Scripsit *Galenus* librum

brum de ossibus ad Tyroneſ , de musculorum & nervorum diſectione, alium de venarum & arteriarum reſectione, novem cudit libros de administrationibus anatomicis, librum de pudendo muliebri , de instrumento odoratus , de fœtuum formatione, de ſemine, de septimeſtri & octimeſtri partu , tandem libros ſedecim de uſu partium compoſuit, quibus nihil unquam magnificenter & utilius eo tempore excogitatum eſt.

Onomastici *Pollucis* liber ſecundus, quem auctor corporis humani partibus denominandis destinavit, hac ratione Anatomico ſervire potest.

Ruffus Ephesiſ ejusdem ferè argumenti librum evulgavit , utrumque hunc majori cum fructu legetis , ſi iis jungatis *Galeottum* cum *Merulæ Luna*, & *Camerarium* de appellationibus partium humani corporis.

Soranus junior librum ſcripsit de pudendo muliebri non repudiandum , quamvis maximam partem ex *Galen*o concinnatus videatur.

Theophilus Protospatarius hunc pari paſſu ſequitur , qui ex Galeni libris de uſu partium epitomen confarcinavit.

Eodem plagiī ſcelere accusandus eſt *Oribasius*, quum omnia ex Galeno ſurrepferit.

Miletius, quem ex sanctis Patribus ſe compilaf-
fe,

se, profitetur librum Anatomicum, titulum potiore jure Onomastici meretur.

Anonimus Græcus, qui nomine *Isagoges* circumfertur, a Petro Laurenbergio latinitate donatus ex Aristotele concinnatus videtur. Potestis jam, Auditores, facile concipere ex caractere, quem his scriptoribus adsignavi, quam parum ab his Galeno adjectum sit. Videamus, quid ad usque *Vesali* tempora ab aliis aliarum regionum incolis Galeno accesserit.

Seculo XIII. Mundinus Bononiensis primus inter Italos librum in usum scholarum conscripsit, in quo Anatomen tractavit, more, quo tunc in theatris publicis eam demonstrare consueverant, lectu non indignam.

Ad finem hujus seculi *Gabriel de Zerbis*, Medicus Veronensis, Anatomen corporis humani conscripsit, in quo plura continentur non aspernanda.

Zerbi fere post seculum in scribendo successit *Jacobus Carpus*, seu Carpensis Medicus & Anatomicus Bononiensis peritissimus, hic *Isagoges* breves, sed exactissimas in Anatomen Mundini composuit, doctissimas solertis ingenii sui fœturas incomparabiles. Hunc Carpum, primum Anatomes restauratorem post Galenum esse censemus.

Hic

Hic plurima à Galeno neglecta & non visa detexit & publicavit.

His ferè temporibus Galli huic arti adipiscendæ & adornandæ invigilare cœperunt, per longiores verborum ambages rem anatomicam Galeni illustrantes. Inter hos primus fuit *Carolus Stephanus Parisiensis*; hic tres libros de dissectione edidit cum appositis imaginibus ad vivum depictis ab industrio Chirurgo *Riverio*. Ante hunc nullus est scriptor, qui omnes partes totius corporis delineaverit.

Jacobus Sylvius Ambianus, vastioris doctrinæ vir, Galeni fuit acerrimus defensor, Vesalii implacabilis hostis. Quæ memoria digna reliquit Sylvius, sunt docta commentaria in librum octavum Galeni, de ossibus, ad Tyrones, tres libros Isagogicos in Hippocratis & Galeni rem anatomicam.

Joannes Fernelius Ambianus disertissimus, suæ laudatæ tradendæ Medicinæ initium ad veterum Medicorum exemplum, ab corporis humani notitiâ duxit; sciebat hic, cujusvis artificis interesse, subiectam, quam tractat, materiam perspectam habere, quo illam expeditius in omnem artificii speciem flectere & torquere possit, ita & Medico cognoscendam esse omnibus numeris absolutam

corporis humani naturam, judicavit. Operi suo ideo præposuit succinctam Anatomen, ex Hippocratis quidem & Galeni membranis desumptam, sed eo ordine, eo stili ornamento elaboratam, ut inter omnes, quos recensui Galeni plagiarios, si quæ ipsis tribuenda laus & æstimatio, primam mereatur Fernelius.

Nicolaus Massa Mundini in morem in Anatomiam librum introductoriā conflavit, qui methodum secandi docet, Anatomen discentibus non inutilem.

Nunc venio ad eximum *Andream Vesalium* Bruxellensem, magni judicii Virum, in Patavina schoala, Anatomes & Chirurgiæ Professorem, qui inter Veteres parem non habuit, qui, seposita & Hippocratis & Galeni nimia auctoritate, primus foli veritati litavit, & ex crebra indefessaque corporum humanorum sectione nunc quæ ab Veteribus falsa descripta erant, correxit; nunc alia, quæ ab ipsis neglecta & non visa, addidit; nunc illorum sensum obscurum reddidit clarum & perspicuum, nunc innumera ab illorum Interpretibus mutilata emendavit. Vesalius, anno post Christum, natus millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, viginti octo annos natus, in hac sua juventute, qua alii demum studere incipiunt,

piunt, omnium gravissimum de fabrica corporis humani typis excudit librum, eo ordine dispositum, ea sermonis puritate elaboratum, illa peritia anatomica repletum, denique figuris omnium elegantissimis ornatum, ut dicere ausim, Vesalius, omnium ferè Anatomicorum, qui ante eum quidquam publici juris fecerunt, doctrinam exhausisse, omnium ferè, qui post illum ad *Harvei* usque tempus scripta evulgarunt, dogmata continere, si paucos duntaxat excipatis, qui privatas anatomes fecerunt; id est, qui vel privatim oculo, vel auri, vel linguæ, vel aliis sensuum organis detegendis & describendis incubuerunt.

Hæc singularis Vesalii in secando dexteritas, & peritia, pari cum eruditione & eloquentia juncta, tantam ei conflavit invidiam, ut nullus esset eo tempore alicujus nominis &, hujus scientiæ vel Doctor vel Professor, qui nomini ejus non invideret; Sylvius ipsum cane & angue pejus odio habebat; Vassæus illum persequebatur; Massa illi insultabat; Columbus insidiabatur; Fallopius, ut plures taceam, & clam & palam gloriæ illius detrahere studuit; sed irrito successu hoc, quotquot fuerint, fecerunt, quum eum doctissimum opus ab omnium his insidiantium laqueis feliciter evolveret, quod ab æquis rerum æstumatoribus

E

per-

lectum luce clarius indicabat , Vesalianæ virtuti invidiam perpetuam comitem fuisse , quam penitus porro ab ipso removit Imperatoria Caroli V auctoritas , qui Vesaliū immerito ab invidis vexatum post tot , tam parvo temporis spatio exantlatos labores , a publicis his curis avulsit , & sibi soli per dignitatem Archiatricam , quam in Vesaliū contulit , devinxit , magno reipublicæ anatomicæ damno ; sed quum Vesalio Cæsar invictissimus Graviorem Virum habere non posset , & quum erat & justum , magnum Monarcham à maximo Medicorum Vesalio juvari . Cui nullus postea livor , nullæ obtrestationes , nullæ suggillationes , nec invidiæ rabis , virtutibus semper obvia nocere potuere . Vesalius veterum Anatomicorum princeps , quem nullis encomiis , nullis elogiis satis extollere possum , præter septem libros , quibus titulum fabricæ corporis humani præfixit , epitomen recensuit , quam veluti horum librorum semitam , & in illis demonstratorum indicem præparavit . Edidit etiam observationum ab Fallopio in sua scripta editorum examen & defensionem , in quo se modeste at strenuè defendit . Liber , quem de Radice chinæ scripsit , multa continet anatomica , scitu necessaria .

Hoc tempore , *Alexander Benedictus* , primus inter Italos implacabile odium adversus Vesaliū de-

deponens, ex ejus magno opere epitomen concinnavit.

Leonardus Fuchs Germanus, pari fere ratione, epitomen ex Vesalii libris contraxit.

Realdus Columbus Romanus in dissectionibus versatissimus, quidquid Carcanus calumniator, discipulus Vesalii, de eo male dicat: Hic quamvis maximum partem imitatus sit *Vesalium*, multa tamen habet ab Vesalio & aliis non visa.

Valverda Hispanus Columbi discipulus, ut suæ patriæ esset utilis, anatomen ex Vesalio corrasam hispanico divulgavit idiomate, adjectis Vesalii iconismis, quos in æs incidi curavit.

Archangulus Picolominus Italus, Romæ varias prælectiones anatomicas edidit in xi. libros distinctas, quæ Viri ingenium acutissimum abundè testantur.

Michael Gavasetius præludia anatomica non omnino contemnenda publicavit.

Constantinus Varolius Italus, quatuor libros de resolutione humani corporis edidit, merentur titulum potius ab usu partium, quam a dissectione; alium de nervis opticis scripsit tractatulum.

Pareus, quam chirurgiæ suæ præfixit anatomen, ex libris aliorum excerptis.

Andreas Laurentius retulit in librum suum, scripta & data aliorum, variato solum ordine,

stile tamen purissimo historico, qui librum vix ex re commendandum, legenti acceptissimum reddit, in xii. libros opus digessit, & tot fere controversiarum libros adjunxit, qui magis Laurentium, quam ipsa historia commendant.

Bartholomæi Cabrolii Alphabeton Anatomicum Tyroni commendamus, non viris in sectionibus versatis; hujus Scriptoris observationes memoria dignæ sunt.

Joannes Riolanus contractam anatomen ex optimorum Scriptorum libris concinnavit, ubi dilucide & ordinatè genium Scriptorum assequitur, quod facere non potuisset, sectionum imperitus.

Vidi Vidii septem libri magnam partem ex Galeno exscripti sunt, quas jungit figuræ de musculis, rejiciendas esse censemus, ne Tyronis mentem confundant.

Laurenbergius Germanus, se plurimis commendavit libello, quem de corporis humani anatomia publicum fecit, manuale nec Tyroni nec Anatomico inutile: procestria ejus anatomica admodum laudanda est.

Joannes Dryander, in Mundinum fecit commentaria, vix memoratu digna.

Iulius Cæsar Arantius tractatum edidit, humani fœtus historiam contemplantem, ejus obser-

vationes testantur, illum mirificè in sectione cada-verum exercitatum fuisse.

Volcherus Coiter Groninganus, inter præclaros Anatomicos non infimum promeritus est locum, concinnas enim adornavit tabellas de partibus corporis humani externis & internis, de ovorum gallinaceorum generationis primo exordio & progressu ante Aquapendentem & Harveum egit, de ossibus fœtus humani, post Galenum optime scripsit, in tractatione auditus versatas manus exhibit; Ejus observationes sincera mente scriptæ sunt.

Felix Platerus Helvetus concinnavit tabellas in tres libros divisas accuratissimas, quibus universam corporis humani partium structuram & usum explanat, figuræ ex Vesalio hic depictæ pictoris inscitiam manifestant.

Gabriel Fallopius Italus, pomæria anatomica magnoperè extendit suo examine, quod in Anatomorum selectorum acta, Galeni, Vesalii, Columbi, Valverdæ, paravit, in quo se tam egregie gessit, ut gloriam nunquam delendam, suo nomini procuraverit, in quo, ut aliorum lapsus corrigit, ita nova alia prodit. Ejus institutiones Anatomicæ Tyronis studia valdè juvare possunt. Liber expositionis in librum de ossibus Galeni a Tyrone vix

intelligi poterit, exercitatis vero in hac materia multum prælucebit. Alia in hoc præstanti scriptore plurima dispersa anatomica cum judicio & sarta experientia scripta sunt.

Bartholomæus Eustachius in hac cum doctissimo Fallopio sententia stetit, qui posteritati utilius fore judicavit, pauca invenire & cum aliis communicare, quam immutata verborum serie aliorum labores recensere; probat hoc ejus liber de rerum structura, officio & administratione, in libro de motu capitis, de vena sine pari, de media na, de vena alba, & aquei humoris plena, fidem addunt, nullum nec Veterum nec Recentiorum de his rebus exactius & solidius scripsisse: hic Vir multa Veteribus ignota detexit.

Julius Jafolinus pauca, edidit anatomica, quæ lectu non sunt indigna.

Casparus Asellius Cremonensis, hoc quoque tempore de lactibus seu lacteis venis suum novum inventum edidit.

Adrianus Spigelius Bruxellensis, post suum obitum in lucem ire jussit, curante Bucretio, x. libros, summæ eruditionis & dexteritatis suæ vestigia; figuræ huic libro adjectæ, propria manu a Julio Casserio sunt delineatæ, sed quæ mors præmatu ra edi impedivit, has tamen Bucretius plurimis

ab

ab alio pietis auxit ; Exceptis Vesalii figuris , omnium optimas censemus has Spigelianas.

Joannis Veslingii Syntagma anatomicum elegantissimo stilo exaratum, methodum suam prælegendi & publicè docendi continet ; quæ , quo magis à Vesalii methodo recedit , eo intricatior est ad instruendum Tyronem , qui non nisi longa annorum serie ex ea proficiet : cum exiguo tempore si ordini , quem Vesalius servavit , adsuescat , voti sui compos sit futurus.

Ioannes Riolanus Filius eruditus & dexter , Patre a me commemorato in hac arte celebrior , varia conscripsit anatomica opuscula , quæ denuo simul cum Anthropographia Parisiis sunt excusa . Anthropographia , quo ad vasa & musculos , plurima aliis clariora continet & nova ; in cæteris ab Galeno vix declinat & Vesalio : Hic indefinenter in Vesalium non solum invehitur , sed in omnes fere sui temporis Anatomicos , Laurentium Bauhinum , Spigelium , Veslingium , Hoffmannum , Bartholinus , sed ea interdum infelicitate , ut nusquam magis quam in his Riolanum hallucinari observemus . Veritatis habetis exemplum in quæstione de circulatione sanguinis Harveyi , quam hic negare voluit , tenaci invidia obsessus , ad ultimum ferè vitæ susprium , potius , quam in re tam certa

& clara causa cadere. Hic omnium, quos Gallia tulit, Princeps fuit anatomicus. Enchiridium Riolani serius excusum multa continet, quæ in magno opere male posita vel omissa sunt.

De hoc studiorum genere *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, ab oppido patriæ cognominatus, egregiè meritus est, qui ut se multis præstantiorem exhiberet, organa quædam sensuum externorum, tam humanorum, quam brutorum industrie dissecuit, visionis, vocis, auditus, in quorum attenta perscrutatione, plurima ab aliis non animadversa detexit, æterna dexteritatis & eruditionis suæ monumenta; deinde ad alia naturæ mysteria inquirenda se accinxit, ad dilucidationem formationis ovi, & pulli, & fœtus humani, quo pacto nomini suo nulla oblivione delendam gloriam excitavit. Et cum ad usum & consuetudinem vitæ communis, vocem & loqueland præ cæteris præclararam esse sentiret, qua videlicet aliis persuademus, qua consolamur afflictos, qua deducimus perterritos à timore, qua gestientes comprimimus, qua cupiditates vel iracundias restinguimus, qua socia, juri, legibus & urbi devincimur; de vocis & locutionis instrumentis hominis scripsit tractatum, prudentiæ anatomicæ & dexteritatis plenissimum: his junxit anatomen Brutorum vocis,

ut

ut ex habita similitudine spectator hoc splendissimum organum, quod à vita immani & fera nos segregavit, penitus assequeretur. Ejus liber de venarum ostiolis immensa doctrina repletus est, quem de musculi artificio & utilitate, de articulorum structura, de respiratione, de motu locali, de gula, ventriculo, omento, varietate ventriculorum, de ruminatione, de intestinis, de mesenterio composuit stupenda eruditione, & labore durissimo quinquaginta annorum expedivit, qui, si diutius superstes mansisset, non dubitamus, quin adhuc præstitus fuisset memoria illustriori digna, qui ad Dei Omnipotentis opera rimanda cretus videbatur.

Neque a *Fabricio* degeneravit *Julius Casserius*, Placentinus à patria dictus, hic *Fabricii* discipulus & successor, indefesso labore se virum præstitit, nulli secundum in rebus anatomicis subtilissimis & difficillimis investigandis, tactus, gustus & odoratus organa non perfunctoriè explicavit, ad exemplum Præceptoris, quinque sensuum organa externa recudit, & iconismis pulcherrimis dilucidavit, manu propria delineatis.

Casparus Bauhinus theatrum anatomicum edit, in hoc, si librum primum dematis, omnia Galeno ferè & Vesalio surrepta sunt, theatro huic

G

suo

suo adjecit Vesalii figuræ; idem fecit in libro suo de institutionibus anatomicis. Jam alia possem plurima Auctorum scripta ante Harveum edita recitare, sed vix operæ pretium videtur, puros putos Plagiarios his nostris electis associare, quorum nullus inutilis ei erit, qui anatomen partium solidarum addiscere vel alios docere cupit. Horum itaque crebram perfectionem necessariam statuuntur: sunt enim artis anatomicæ fabri, qui posteritati viam, multis spinis & cuniculis solutam, demonstrarunt.

Jam propositi mei ratio exigeret, eo, quomodo veterum Scriptorum characterem exaravi, Recentiorum acta vobis declarare, quorum tantus est numerus, ut nec hora hæc mihi constituta, nec dies iis recensendis sufficeret. Ex his plurimi anatomes suas universas, ut loquuntur, compilaverunt, ubique Veteres imitati, quare de his nil dicendum: paululum autem dicam de illis, qui duntaxat speciosissimis inventis suis Veterum rem anatomicam mirum in modum auxerunt, & plane nova a Veteribus intacta tradiderunt.

Gulielmus Harveus, illud Angliæ decus splendidum, primus inter omnes pomæria anatomica mirabiliter amplificavit, detecta & in claram lucem protracta circulatione sanguinis, quam in
vidi

vidi subolsecisse ajunt ante illum, Realdum Columbum, & Andream Cæsalpinum, quo jure, ipsi viderint. Horum uterque circulum, quem facit sanguis per pulmonem, solum notat, non vero per universum corpus; at per pulmonem alia, alia est per partes corporis circulatio; illa fit duntaxat pro aeris & chyli permixtione cum sanguine, hæc sanguinem aere & chylo subactum pro nutritione, & omnibus functionibus in oeconomia, certa lege peragendis, circumfert, uterque si superstes esset, testarentur, quum cavæ venæ & ex hâc productorum ramorum verum usum ignorarent, ad Harveum inventionis gloriam merito spectare.

Ex hujus oceani protractis rivis, magna Anatomiæ lux affulsit, quæ veram ad intimorum viscerum recessus perscrutandos viam præbuit, qua glandularum obscura penetralia eruimus, hac ignota, ipsa oeconomia animalis abscondita mansisset: ex hac unica omnium, quotquot sunt inventorum data, elucescunt.

Malpighius gloriam suam nullis seculis delendam non promeritus fuisset, si vasculum adducens sanguinem in glandulam, non præscivisset, si ignorasset, venam arteriæ in extremo continuam esse per expansum reticulum, conflatum ex utriusque

vasis extremis, quod nunc pulcre areolam, nunc contractum vasorum glomerem, nominat, nunquam secretiorum instrumentorum formam & usum detexisset, sed hæc omnia Harvei inventum patefecit.

Innumeros lacteorum canales, meseraicis vasis accumbentes, primus conspexit *Asellius*; chyli ex his ad receptaculum, sive cisternam lumbis accumbentem, viam primus vidit *Pecquetus*, chyli ascensum ad subclaviam sinistram, per singularem canalem, idem *Pecquetus* detexit. Quamvis hunc canalem in equo, alio nomine subodoratus sit *Eustachius*: pendulam & valvatam interiorem intestinorum membranam, tomentosis productionibus innumerabilibus stipatam, originem lacteorum esse conjicimus.

Lympham quædam ducentia vasa casu detecta sunt à Rudbekio & Bartholino & aliis quibusdam, de horum numero & vero ordine valde incerti sumus.

Secretionis organorum structuram multi expenderunt sedulo, omnium viscerum maximum jecur, non ad mentem Veterum sanguificationi inservire, sed bilis officinam esse, *Glissonii* & *Malpighii* dogma est; renum fabricam detexit *Eustachius*, eam expolivit *Bellinus*, membranosam & vascul-

vasculosam totam pulmonis substantiam esse, Columbus notat, Malpighius dilucidat; multifariarum glandularum varios fontes & ductus, breves, longos, magnos, parvos exposuerunt Warthonus, Stenonus, Wirsungus, Rivinus, Bartholinus, Sneiderus, Pejerius, Brunnerus. Valvas habere venæ cavæ ramos in artus explicatos, testatur *Aquapendens*; Mezeraicas venas, valvulas nullas quoque, nec quæ è sinibus duræ matris ad cerebri substantiam educuntur, nec spermaticas habere valvulas constat.

Cavæ ramos ex iliacis ad uterum mulieris exponentes, nullis stipatos esse valvulis, nuperrimè doctissimus *Freinds* Anglus opinatus est.

Magnam porro mirabilitatem faciunt, quæ Recentiores labore indefesso in explicatione organorum generationi dicatorum, in utroque sexu, præstiterunt. Quantis non cumulaverunt inventis sensuum in homine externorum organa; sed horum & aliorum admirandam & laudandam industriam Bibliotheca *Mangeti* Anatomica dilucidis verbis exhibet & abundè probat, Horum igitur & Veterum assidua lectio prima est anatomen rite discendi intentio.

Altera intentio est docentium vox, hæc difficiliora Scriptorum loca discentibus explicat,

dubia solvit, depravata restituit, & omissa supplet.

Tertio Encheiresis adjicitur, quæ est artificiosa resolutio, seu refectione humanorum, & brutorum corporum. Hæc ut discenti facilis eveniat, per partes erit instituenda, ne Tyro confusa manu, ad rem agendam ductus, deterreatur.

Encheiresis pars est, partium corporum artificiosa præparatio, coctione, elixatione, maceratione, putrefactione, ablutione, vel alia quacunque arte facta: in vasa sanguinea elegans liquefactâ cerâ, vel aliis liquoribus injectio ope syringis, ut repleta ad ultimos suos ferè fines, quod producunt vasa vasculosum rete, clarius in oculos cadat.

Hâc arte præparatoria Belgium præprimis præterito seculo floruit, & jam dum viget, magnopere Cl. Ruischii operâ, qui in hâc excoleندâ arte laboriosissimus, omnes, qui ante ipsum hanc tractarunt, longè superavit. Hæ præparandi artes qualiscunque sint generis, quatenus ad struturam partium dilucidandam symbolam adferunt, admittendæ veniunt. Cavendum verò ab iis, quæ majori vi in præparatione adhibita, teneram visceris fabricam disturbare & contextum ejus naturalem destruere possunt, ne anatomen discentes

à vero structuræ sensu deducantur.

Absolvi jam artis nostris Anatomicæ requisita, jam ordo, quo, hanc discentes assequuntur, delineandus est; qui non longè ab regula principis nostri Vesalii præscripta deflectit. Obscero, benignis auribus, ut haec tenus feceris, me eum brevi verborum serie describentem, excipiatis.

In hac rite addiscenda arte, Ossium historia præmittenda venit, nam fundamentum totius Anatomiae meritò audit: hæc non obiter, ut plurimi solent, est tractanda, sed accurate, ut ossium numerus, structura, & multifarii nexus, canales, foramina, tubera, additamenta, capita, sinus, caveæ, membranæ, vasa, medulla, probè ediscantur; his adiiciuntur ligamenta diversi ordinis & structuræ, cartilagines, quibus articuli obducuntur, & horum mucus naturalis.

Hæc partim in sceleti exsiccati ossibus, partim in succulentis recenter demortuorum inspicienda sunt: post perceptam Ossium adultorum historiam, diversæ ætatis juniorum ossa perlustranda erunt, ut tempus adcretionis, quantum fieri potest, agnoscamus, duritiem eorum & mollitiem; tandem Osteogenia in fœtu novimeti exploranda est, ut fœtus ossium multa frusta, epiphyses cartilagineas, membranas, & alia, quæ fœtui ta-

li contingunt, rimemur; in exsiccatis non solum, sed in succulentis, hæc inspicere convenit: nam sicca fœtus ossa, multò, plus cartilagines à statu naturali deflectunt. Hoc maximè liquet ex eo, quod omnes imagines hucusque in libris Anatomicorum, ad prototypum siccii fœtus sceleti pictæ, mutilatæ & penè ineptæ conspiciantur. His omnibus cum judicio exploratis, & nihilo eorum prætermisso, quæcunque Veteribus & Novis nota fuerunt, Tyro anatomicæ artis fundamentum, quod est Osteologia, per semet jam jam possidere animadvertis; hinc aptus evadet ad tot musculorum nomina, situs & figuræ, per noscenda, quorum omnium usum à punto fixo & mobili augurabitur, horum numerum ipse computabit, postquam hos omnes dextra manu, cultro resolutos serio inspexerit.

Tum ad nervorum historiam veniendum est, quum hi omnes à cerebro & ejus cauda proficiantur, prius cerebrum & ejus appendix cultro subjiciendus, antequam nervorum explicationem mirè vagantium per totum corpus, cultro prosequemur.

Tandem vasorum sanguinem vehentium fabrica & divisio admirabilis, in universo corpore exploranda, quorum omnium principium cum sit

cor,

Cor, in structura mirificum, ejus artificium musculosum expendendum est; sedulo denique ad viscera progrediendum. Pulmonis fabrica & usus enucleandus, & alia, quæ ad respirationem faciunt: masticationis, deglutitionis, chylificationis, sanguificationis, secretionis, propagationis in utroque sexu, vocis, loquela, tactus, odoratus, gustus, visionis, auditus, organorum stupendas fabricationes, fœtus in utero vitam sine respiratione, ejus mirabiles vasorum post partum mutationes contemplanda sunt. Hæc omnia scite & rite in humanis cadaveribus demonstranda sunt. Læctea vero vasa cum suis adjectis, & quæ huc spectant lympham ducentiavasa, quum raro in cadaveribus humanis, in oculos nostros incurvant, in vivis animantibus quærenda sunt.

His sæpius sine nausea repetitis laboribus, comitem facite Anatomen, quam Comparativam nominant; quæ est brutorum, ex omni desumptorum genere, artificiosa resectio, quorum simplicior viscerum mechanica attente & diligenter resoluta, multorum inventorum fons fuit:

Malpighius inopinato ex ranæ simplici pulmonis fabrica accuratius veram hominis delineavit, ex canicidiis detecta sunt læctea, & lymphatica vasa. Cati ren simplex admodum, renis in homine com-

positum contextum dilucide explicat. Uno verbo dicam, hanc Anatomen ex brutis ad hominem comparatam, necessariam esse iis omnibus, qui severioribus studiis anatomicis operam navare student.

His probè omnibus innutritus Tyro, nullo negotio assequetur litigantium Anatomicorum dubia, his instructus mediis ad Medicinam adipiscendam, viam habebit patentissimam: hoc nomine Professorum suorum doctrinas, quæ vel theoretica vel practica audit, illico intellecturus est, inconcussis stabit prognosticis, distinctus ab Empirico: nam hæc docet morborum causam & differentiam; quæ sint vasorum diversa vitia, qui sint cerebri, qui nervorum morbi, distinguit quæ pulmonis sint mala fata, quæ ventriculi opprobria, intestinorum multiplices passiones & tormenta, renum & vesicæ crudelissimi dolores, & aliarum partium, hepatis & lienis innumerabiles morborum catervæ. Hoc cum ita esse sana ratio suadeat, nullum, credo, hoc tempore bonæ mentis Medicum esse, qui audeat unius morbi causam, neglecta anatome, solidè explicare.

Videamus jam, quo usu nobilissimæ arti chirurgicæ famuletur Anatome: nusquam clarius, quam in hâc præstantissimâ arte ejus necessitas elucescit. Quod ut demonstrem, non hic referam ve-

-09
te-

terum facta Chirurgorum, quotquot fuere, quorum omnium in hac arte exercenda, Anatome nautica pyxis tutissima, & verus fuit oculus, nec dicam, quæ nostro tempore ex aucta Anatome, chirurgico studio commoda accesserint : Memorabo solum pauca, quæ mihi in frequentissima praxi exercenda, ex Anatome splendida beneficia prognata sint, quo fidissimo clavo si destitutus fuissem, non ea cum optato successu præstituisse in hunc usque diem, quæ omnes à me præstita esse sciunt.

Hæc me docuit discernere ossis humeri luxationem ad inferiora, a frasto processu scapulæ coracoideo, quam imperitus anatomes distinguere haud potuissem ; hæc docet, quem olim frequentissimum crediderunt femoris ossis ex acetabulo delapsum, rarissimè fieri ; sed collum ossis ob teneram structuram difringi a leviori impetu, docent circumjecti articulo musculi, muscularumque tendines, in quem sensum a sede suâ naturali os recesserit, in hoc illove latere tensi vel laxati.

Hæc monemur, dearticulatum os in propriam sedem repulsum, non spleniis & vinculis & pilis stringendum, sed blandiori motu circumagendum, ne à quiete humor articulis unctuosus & naturalis,

congelet & anchyloseos metum incutiat: ossa spongiosa, quale sternum, carpi, & tarsi, nullo ex igne candescente ferro, tangenda sunt, ne à calore ignis ossis vasculosa cellularum membrana, cremata, os ab omni vitâ privetur, non igitur horum carioso ulceri actuali cauterio, sed scalpis succurrendum esse, Anatome indicat.

Nemo nec nervorum nec tendinum læsorum symptomata funesta prædicere potest anatomiae ignarus, ex partium textura & functionibus vulnera vel lethalia vel non lethalia declarantur. Quis Chirurgorum imprudenti consilio, laboriosam curationem fistulæ lachrymalis in se suscipere auderet, partium situs & fabricæ inscius, in quâ se fistula exerit? Temerarius secat ani fistulam cum vitæ ex hæmorragia dispendio, quando in anatome vasorum rudis, majoribus ramis, cultro falcato profundius, quam par est, adacto, non parcit.

Historiam inauditam, haud ita pridem tamen visam, narrabo. Juveni viginti annos nato, intestinum ileum per vulnus ad regionem inferiorem umbilici cultro inflictum, erumpit, propendens extra ventrem, longitudine trium ulnarum nostratium, spatio temporis quatuordecim dierum, aeri longius supra ventrem expositum, suppurationem grandem patiebatur, unde intestinorum gyri inter

se concreti erant, & cum toto muscularum, abdominalis vulnere connati; prælucente Anatome, cognita vulneris inflicti natura, feliciter vulneratum curavimus, quod ante me Anatomes imperiti præstare non poterant.

Innumeros hujus generis casus recitare possem, celebrium præprimis operationum chirurgicarum felicissimos successus, si operantis manus docta Anatome instructa fuerit.

Supereft una tantum, quæ illa, quæ de Anatomis præstantia in chirurgia dixi, admodum confirmabit; calculorum nimirum ex vesica humana urinaria, per sectionem artificiosa extractio, quam felici omine in mille quingentis quadraginta septem hominibus, Deo bene juvante, peregi, quam nisi juncta Anatome ad illud perfectionis culmen non perduxisset, in quo jam fulget: multorum, qui ex crudeli morbo laborant, solatio.

In hac rite & feliciter exercenda, me docuit Anatome, vitare Veterum omnium & Recentiorum errores, qui perversa methodo, in sectione perinæi, fistulas incurabiles, stillicidia involuntaria urinæ, per totam miseros vitam vexantia, producebant. Nuperum in hâc ipsissima nostra urbe habetis exemplum puellæ à calculo sectione liberatæ feliciter, nova methodo, ut inevitabilem sequo-

K ris

ris sexus urinæ incontinentiam evitarem.

Hæc omnia, Auditores, didici ex situ partium, quæ ferro vel tangendæ, vel cavendæ sunt, hoc me docuit adjacentium partium natura & usus, vesicæ naturalis constitutio, muscularum legitimus positus, qui vesicæ os claudunt, majorum vasorum supra vesicam excurrentium notio, ne incauta læsione vitæ rorem effundant, & repentina morte miseri oppressi pereant.

Desisto jam, ne vestræ humanitati, Auditores omnis ordinis & loci spectatissimi, injurius videar, rem planissimam ulterius exornare: ipsa se Anatome commendat, matrem, fontem & originem, quâ nulla Medicina, quæcunque sit, carere potest.

Hæc fuit Illusterrimorum Curatorum & Amplissimorum Consulum hujus Civitatis sententia, qui me, ut necessariam spartam decenter ornarem, honorificè evocarunt; Hoc Clarissimorum Collegarum, qui tanto cum fructu, laude, & fama, rem Medicam in hac celeberrima Academia docent, ornant, & augent, desiderium sincerum fuisse, nullus dubito. Quorum Ego honorificam exspectationem si æquare non possum, saltem intendam omnes ingenii mei, & industria nervos, ut impositam mihi personam, quamvis ho-

honestam & decoram, cum multis tamen molestiis
conjunctam, non ineptè prorsus, sed cum aliqua
laude gessisse videar.

Jam vos omnes, quotquot conspicio, ornatissi-
mos philiatros, compello, & exhortor, ut hanc
in summo pretio habeatis artem, & gnaviter eam
excolatis, ignaviæ non succumbentes. His labo-
ribus assuecite, & me fidelissima doctrina, & in-
defesso labore præeuntem sequimini, industria, &
diligentia vestra me adeo incitate, ut dulcis sit a-
liquando in his studiis præteritorum laborum, &
vestra & mea recordatio.

D I X I.



VIRO CLARISSIMO
JOANNI JACOBO RAUIO
MEDICINAE DOCTORI,

Quum in illustri Leidensium Academia Anatomiae
& Chirurgiae professionem auspicaretur.

Sic tua conspicitur virtus majore theatro:
Sic Batavo majus nomen in orbe feres:
Poscit opem cum Leida tuam, dextraeque laborem
Artificis proprium quaerit habere sibi.
O quoties dixi, manuum miranda tuarum
Dum stupeo, Has dotes praemia magna manent!
Scena manet, dixi, grandis, Pallasque Batava
Mercedem curae jam parat ipsa tuae.
Evenere: tua nunc ambit voce doceri
Hospitium Aonio nobile Leida choro.
Cernere nunc ambit miracula maxima rerum,
Naturae numquam deficientis opes.
Haec, occulta licet, vigili penetrare labore
Fas erit, & paucis cognita mente sequi.
Sic motus variasque vias cursusque liquorum
Lumine cognosci liberiore dabis.
Offaque quid firmet nervosque torosque docebis,
Et sanguis venas impleat unde suas,
Et totidem peragat cursus totidemque recursus;
Et soliti fluxus quid remoretur iter.
Haec monstrata sibi cupida bibet aure juventus,
Et quorum medico non licet esse rudi.
Sic tibi, sic Batavo constabit fama Lyceo,
Nec pretio meriti destituere tui.